DECRETUM





In Audientia habita die 12. *Januarii* 1752.

RElatis per me infraſcriptum Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO PP. XIV. tum compendio Cauſæ, ſeu Cauſarum inter Provinciam Sanctiſſimi Nominis JESU nuncupatam Ordinis FF. Eremitarum S. Auguſtini Regni Mexicani ex una, & Fr. Hippolytum Diaz ejuſdem Provinciæ Filium, ac Magiſtrum ex altera parte dudum exortarum; tum precibus eidem SSmo D. N. oblatis, & ad me Secretarium Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium remiſſis, ad effectum referendi Sanctitati Suæ, una cum poſtulationibus ab utraque parte, ſeu ipſarum Procuratoribus oretenus, atque etiam ſcripto expoſitis; nec non tractatibus per aliquot Mediatores pro ineunda Concordia fruſtra ſuſceptis, & literis Eminentiſſimi Protectoris Bonum, & Pacem Provinciæ enixè commendantis.

Sanctitas Sua pro ſingulari, ac ſanè paterna ſua erga eumdem Ordinem Eremitarum S. Auguſtini clementia, & charitate; cupiens diſſidia omnia, & contentiones, quæ nedum immani impendio, verum etiam gravi animarum diſcrimine promoveri ſolent, ab Alumnis ſupradictæ Provinciæ amovere; iiſdemque tranquillitatem religioſam reſtituere: re maturè diſcuſſa, & undequaque perpenſa, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, decrevit, voluit, & mandavit, prout virtute præſentis Reſcripti decernit, vult, & mandat, ut infra, videlicet:

Primò, Silentium perpetuum utrique Parti eſſe imponendum; ita, ut nemini, cujuſcumque ſtatus ſit, & conditionis, etiam expreſſa, & individua mentione digno, in poſterum liceat Cauſam, ſive Cauſas ſupramemoratas ſub quovis quæſito colore, vel obtentu, in dubium revocare, diſcutere, aut cognoſcere;

ſed

ſed Cauſam, & Cauſas eaſdem habendas eſſe, ac ſi nunquam prorſus ſubortæ fuiſſent.

Secundò, Indulta, ſeù Privilegia honorifica ſupradicto Fr. Hippolyto Diaz à P. Priore Generali Ordinis conceſſa, auctoritate, tam Ordinaria, quàm Apoſtolica, iis tamen exceptis, quę juriſdictionem complectuntur, habenda eſſe, uti valida, firma, & rata.

Tertiò, Cum nondum conſtet, reſtinctas eſſe ſimultates; nec religioſam charitatem inter Partes adhuc redintegratam, eumdem Fr. Hippolytum Diaz non poſſe ad eamdem Provinciam SSmi Nominis Jeſu redire, abſque prævio Romani Pontificis aſſenſu, & beneplacito.

Quartò, Provinciam SSmi Nominis Jeſu Regni Mexicani teneri ad perſolvenda eidem Fr. Hippolyto Diaz extra eamdem commoranti, & quouſque ab eadem abfuerit, annua ſcuta centum quinquaginta monetæ Romanæ pro congrua ipſius ſuſtentatione, vel titulo Veſtiarii, ab omnibus expenſis collybi, vulgo *Cambio*, & tranſmiſſionis, aliiſque libera.

Quintò, Sanctitas Sua benignè ſanavit, approbavit, & confirmavit omnia acta (iis tantum exceptis, ſi quæ ſint, quæ ad Cauſam, ſeu Cauſas Fr. Hippolyti Diaz ſupra enunciatas quomodolibet pertinerent; ſuper his enim ſervandum eſt ſilentium, ut ſupra) Capituli Provincialis habiti in ſupradicta Provincia die 18. Aprilis 1750., quocumque defectu, aut nullitatis vitio, Conſtitutionibus Apoſtolicis, aut Statutis, ſeu Legibus Ordinis, Prohibitionibus Superiorum Generalium, aliiſque in contrarium non obſtantibus: atque idcircò voluit, & mandavit, ne quis audeat, ſeu præſumat de eorumdem actorum, nempe Electionum, & Decretorum, ac Reſolutionum, ac inde promanantium, ut ſupra ſtatutum eſt, firmitate, & validitate ambigere, diſceptare, cognoſcere, aut pronunciare,

C. A. Card. Cavalchini.

Joſeph Maria Archiepiſc. Damaſc. Secr.

Loco ✠ Sigilli.

ROMÆ, Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ. 1752.